This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

KDC
c
25492

Digitized by Google

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK NIJMEGEN
230000 1530 5553
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# OFFICIA QUOTIDIANA

## IN SACELLO SEMINARII WARMONDANI

**OBSERVANDA.**

Digitized by Google



Digitized by Google

# OFFICIA QUOTIDIANA

IN SACELLO

## SEMINARII WARMONDANI

AB ALUMNIS OBSERVANDA,

SEU

## PRECES MATUTINAE, VESPERTINAE ALIAEQUE PRAESCRIPTAE

AC

IN USUM ALUMNORUM PRAELO DATAE ARCHIPRESBYTERO PRAESIDE

B. J. GERVING,

anno Domini 1840;

iterum impressae anno Domini 1892.

HARLEMI,

IN HOSPITIO SANCTI JACOBI.

1892.

KDC
C
95492

Digitized by Google

A. M. D. G.

EX LIBRIS
UNIVERSITATIS
NOVIOMAGENSIS

Digitized by Google

# Officia Quotidiana

IN SACELLO

## SEMINARII WARMONDANI

PERAGENDA.

## § 1.

## PRECES MATUTINAE.

*Finita pulsatione minore campanae, Hebdomadarius, in medio Sacelli ad pulpitum genuflexus, clara voce dicit, signans se signo crucis:*

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Venite, adoremus et procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos; quia ipse est Dominus Deus noster: nos autem populus ejus et oves pascuae ejus.

Digitized by Google

*(Si non sit Dominica, genuflectitur.)*

Angelus Domini nuntiavit Mariae:
Et concepit de Spiritu sancto.
Ave Maria.

Ecce ancilla Domini;
Fiat mihi secundum verbum tuum.
Ave Maria.

Et Verbum caro factum est;
Et habitavit in nobis.
Ave Maria.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

**OREMUS.**

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde; ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. R. Amen.

*Tempore Paschali (stando).*

Regina coeli, laetare, alleluia;
Quia quem meruisti portare, alleluia;
Resurrexit sicut dixit, alleluia;
Ora pro nobis Deum, alleluia.

℣. Gaude et laetare, virgo Maria, alleluia,
℟. Quia surrexit Dominus vere, alleluia.

Digitized by Google

**OREMUS.**

Deus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum laetificare dignatus es; praesta quaesumus; ut per ejus Genitricem, Virginem Mariam, perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eumdem Christum Dominum nostrum. R. Amen.

*Dein, stantibus omnibus, Hebdomadarius tono orationis feriali prosequitur.*

Benedicta sit sancta Trinitas atque indivisa Unitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. *Chorus respondet:* Amen.

*Intonat nunc Cantor Psalmum* 66.

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent gentes: quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Digitized by Google

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terræ. Gloria Patri, et Filio.

*Diebus dominicis et festivis in populo cantatur Psalmus* 112: Laudate pueri Dominum.

*Finito psalmo, Hebdomadarius tono feriali dicit:*

℣. Mane oratio mea praeveniet te, Domine.

℟. Mane exaudies vocem meam.

**OREMUS.**

Mentes nostras, Domine, ad benignitatem tuam levantes, te supplices exoramus, ut nostris precibus aures tuae pietatis clementer accommodans, gratiam super nos multiplicare digneris et misericordiam. Per Christum Dominum nostrum. *Chorus respondet:* Amen.

*Tunc, genuflexis omnibus, Hebdomadarius clara voce monet:* Eliciatur actus fidei.

Firma fide credo, te Deum esse unum in essentia et trinum in personis; credo Filium Dei Jesum Christum incarnatum, passum pro nobis et mortuum; credo, te esse remuneratorem bonorum et vindicem malorum; credo et profiteor, quae Symbolo Apostolorum continentur et omnia ac singula, quae sancta Ecclesia Romano-Catholica mihi credenda pro-

Digitized by Google

ponit, quia tu Deus summa veritas es, qui ea revelasti. In hac fide et pro hac fide vivere ac mori volo et statuo.

℟. Domine, adauge nobis fidem.

*Post pausulam.* Eliciatur actus spei.

Misericordissime Deus! spero per passionem, mortem et merita Jesu Christi, in hac vita tuam gratiam et remissionem peccatorum et post hanc vitam spero vitam aeternam in beatifica tui possessione; quia tu, Deus, omnipotens es, et infinite bonus erga nos ac fidelis in promissis.

℟. Suscipe nos, Domine, secundum eloquium tuum et vivemus, et non confundas nos ab expectatione nostra.

*Post pausulam.* Eliciatur actus charitatis.

Amo te, Deus meus, super omnia ex toto corde meo; amo te propter te, et proximum meum propter te sicut me ipsum; quia in te ipso es summe bonus et ipsa bonitas infinita, et ideo dignus, qui ameris ab omnibus: ament te omnes homines, laudent te omnes creaturae! Utinam ego te, Deus, plus amarem! Vere me poenitet, quod unquam te offenderim: jam statuo servare omnia mandata tua.

Digitized by Google

℟. Domine, multiplices et abundare facias charitatem in cordibus nostris.

*Post pausulam.* Fiat relatio operum in Deum.

Domine Deus, omnium creator et gubernator, in quo vivimus, movemur et sumus, sine quo nihil possumus; quaecunque hodie cogitabo, loquar, agam aut patiar, omnia refero ad gloriam tuam et Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in saecula.

*Fit pausa, sub qua unusquisque apud se proponat et disponat singulatim illa, quae hac die sunt agenda, eaque in Deum referat.*

*Signo dato a Superiore, Hebdomadarius clara voce dicit ter:* Pater noster. Ave Maria.

Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo. Amen.

Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria, Mater

Digitized by Google

Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen. — *Dein:*

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine; passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus; descendit ad inferos; tertia die resurrexit a mortuis; ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum; sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

*Tunc, incipiente Cantore, recitatur*

**HYMNUS.**

Jam lucis orto sidere,
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus,
Nos servet a nocentibus.

Linguam refrenans temperet,
Ne litis horror insonet:
Visum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.

Digitized by Google

Sint pura cordis intima,
Absistat et vecordia:
Carnis terat superbiam
Potus, cibique parcitas.

Ut, cum dies abscesserit,
Noctemque sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, et per omne saeculum.
Amen.

(*Pro ratione temporis et festi doxologia haec mutatur.*)

*Hebdomadarius:* ℣. Dignare, Domine, die isto.
*Chorus resp.* ℟. Sine peccato nos custodire.
℣. Miserere nostri, Domine.
℟. Miserere nostri.
℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.
℟. Quemadmodum speravimus in te.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

**OREMUS.**

*Hebd. stans.*

Benignissime Deus, qui nos ad initium hujus diei incolumes perduxisti: gratiam, quaesumus, uberem nobis largire, qua delicta nostra emendare, vitam sancte instituere, et de die in diem sacerdotii tui consortio digniores fieri valeamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

*Genuflectens.*

Sancta Maria et omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari et salvari, qui vivit et regnat in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hac die custodi, illumina, rege et guberna.

℟. Amen.

Deus pacis aptet nos in omni bono, ut faciamus ejus voluntatem, faciens in nobis, quod placeat coram se, per Jesum Christum, cui est gloria in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Digitized by Google

*Post meditationem recitantur*

## LITANIAE
### LAURETANAE BEATAE MARIAE VIRG.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,

ora pro nobis.

Digitized by Google

Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,

ora pro nobis.

Digitized by Google

Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Regina sine labe originali concepta,
Regina sacratissimi Rosarii,

ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

**OREMUS.**

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Famulorum tuorum, quaesumus Domine, delictis ignosce, ut qui tibi placere de actibus

Digitized by Google

nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur.

Protege, Domine, populum ad te clamantem, et apostolorum patrociniis confidentem perpetua defensione custodi.

Quaesumus clementiam tuam, omnipotens Deus, ut beatorum martyrum pariterque pontificum tuorum Willibrordi et Bonifacii intercessio gloriosa nos protegat, et tuis impetret obedire mandatis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

---

*Jam celebratur Missa, quae iis diebus festivis, qui solummodo obligant ad audiendam Missam et in festis devotionis solemni modo cantatur.*

*Finita Missa, nisi vespere diei Laudes vespertinae cantandae sint, sequuntur* Preces pro defunctis, *pag.* 45, *necnon* Preces pro infirmis, *prout juxta regulas pag.* 49 *requiruntur.*

*Postea Cantor inchoat Hymnum:* Veni creator, *quem Chorus recitat alternatim, quo dicto Diaconus caeremoniarius dicit:*

℣. Emitte spiritum tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

**OREMUS.**

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem

Digitized by Google

Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum ℟. Amen.

Dominus nos benedicat et ab omni malo defendat et ad vitam perducat aeternam: et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

*His dictis, omnes modeste e sacello recedunt.*

## POST SACRUM SOLEMNE.

*Die Dominica post Sacrum solemne Diaconus Caeremoniarius alta voce monet:*

Oremus pro conversione inimicorum sanctissimi Nominis, pro perseverantia justorum et qui mundo sunt corde.

*Sequitur quinquies* Pater noster. Ave Maria.

*Dominica prima cujusque mensis, necnon in Festis solemnibus Epiphaniae et Pentecostes, additur* Oratio S. Francisci Xaverii: „Aeterne rerum."

Digitized by Google

## § 2.

# PRECES VESPERTINAE.

*Omnes in Choro stant, dum Hebdomadarius in medio sacelli ad pulpitum clara voce incipit, signans se signo crucis:* In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Inclinata est dies: nox appropinquavit. Venite, extollamus manus nostras in sancta et glorificemus Dominum, qui fecit nobiscum misericordiam suam.

℣. Benedic, anima mea, Domino.

℟. Et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

℣. Benedictus es, Domine Deus, in firmamento coeli.

℟. Et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.

**OREMUS.**

Deus, qui divitias tuae immensae bonitatis in nobis ostendere non desinis: tibi pro collatis beneficiis gratias agimus, humiliter

Digitized by Google

deprecantes, ut quod immeritis tribuere dignatus es, semper ad majorem nominis tui gloriam referamus. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

*Tum Hebdomadarius, omnibus genuflexis, dicit:*

Oremus pro examine conscientiae et remissione peccatorum :

Veni, sancte Spiritus,
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium.

*Chorus.* Veni, Pater pauperum,
Veni, Dator munerum,
Veni, Lumen cordium.

*Hebdom.* Lava quod est sordidum,
Riga quod est aridum,
Sana quod est saucium.

*Chorus.* Flecte quod est rigidum,
Fove quod est frigidum,
Rege quod est devium.

---

*Fit pausa, sub qua unusquisque examinat suam conscientiam.*

---

*Signo dato a Superiore, Hebdomadarius clara voce orat:*

Digitized by Google

Domine Deus, doleo ex intimo corde de peccatis commissis, quia per ea te, summum Bonum, super omnia dilectum, offendi, eaque detestor sincere, quia tibi displicent, qui es totus in te bonus, totus in te amabilis et in sanctitate tua magnificus: propono firmiter non peccare de cetero, atque ab hoc momento statuo vitare et tollere occasiones omnes, causas et pericula peccatorum, imo potius vitam et omnia amittere, quam peccatum admittere; statuo etiam peccata mea quam primum confiteri et in satisfactionem accepto de manu tua omnia adversa, onera ac labores quoscumque, prout placuerit divinae majestati tuae.

*Chorus respondet:* In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te, Domine; cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

*Tum Superior facit confessionem dicens:*

Confiteor Deo omnipotenti etc.

*Respondet Chorus:* Misereatur tui etc.

*R. Superior:* Amen.

*Chorus repetit solito more:* Confiteor Deo omnipotenti etc.

*Superior:* Misereatur vestri. . . .

℟. Amen.

Digitized by Google

*Superior:* Indulgentiam, absolutionem . . .
℟. Amen.

*Sequitur ter* Pater *et* Ave.

*Dein Chorus, inchoante uno ex Cantoribus, recitat* Ps. 133 *alternatim:*

Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini.

Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion: qui fecit coelum et terram.

Gloria Patri, et Filio.

*Deinde Chorus:* Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo et requiescamus in pace. (Alleluia.)

## CAPITULUM.

*Hebdom. stans.*

Omnes vos filii lucis estis et filii diei: non sumus noctis neque tenebrarum; igitur non dormiamus, sicut et ceteri; sed vigilemus et sobrii simus, induti loricam fidei et charitatis et galeam spem salutis, quoniam non posuit

Digitized by Google

nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis, ut, sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. (*Hebd. genufl.*) *Chorus respondet:* Deo gratias.

**HYMNUS.**

Te lucis ante terminum,
Rerum Creator, poscimus,
Ut pro tua clementia
Sis praesul et custodia.

Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata;
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne saeculum.
Amen.

(*Pro ratione temporis et festi doxologia haec mutatur.*)

℣. Dignare, Domine, nocte ista.
℟. Sine peccato nos custodire.

Digitized by Google

℣. Miserere nostri, Domine.
℟. Miserere nostri.

℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.
℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

*Stans.* **OREMUS.**

Fac nos, quaesumus Domine, tibi servire in sanctitate et justitia omnibus diebus, exspectantes beatam spem, ut in pace, consummato vitae cursu, ingrediamur in illam requiem, ubi nox ultra non erit, et videamus faciem tuam et requiescamus in gloria tua, glorificantes te in saecula saeculorum.

℟. Amen.

*Genuflexus.*

*Hebdomadarius:* Kyrie eleïson.

*Chorus:* Christe eleïson.

*Hebdom.* Kyrie eleïson.
Christe, audi nos.

*Chorus.* Christe, exaudi nos.

*Hebdomadarius:*

Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Digitized by Google

Spiritus sancte Deus, miserere nobis
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo virginum, ora pro nobis.
Sancte Michaël, ora pro nobis.
Sancte Angele custos noster, ora pro nobis.
Omnes ss. Angeli, orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora pro nobis.
Omnes ss. Patriarchae et Prophetae, orate pro nobis.
Sancte Petre, ora pro nobis.
Sancte Paule, ora pro nobis.
Sancte Andrea, ora pro nobis.
Sancte Joannes, ora pro nobis.
Sancte Mathia, ora pro nobis.
Omnes ss. Apostoli et Evangelistae, orate pro nobis.
Omnes ss. Discipuli Domini, orate pro nobis.
Sancte Stephane, ora pro nobis.
Sancte Bonifaci, ora pro nobis.
Sancte Fidelis, ora pro nobis.
Omnes ss. Martyres, orate pro nobis.
Sancte Gregori, ora pro nobis.
Sancte Ambrosi, ora pro nobis.

Digitized by Google

Sancte Augustine, ora pro nobis.
Sancte Hieronyme, ora pro nobis.
Sancte Willibrorde, ora pro nobis.
Sancte Carole Borromaee, ora pro nobis.
Sancte Francisce Salesi, ora pro nobis.
Sancte Thoma, ora pro nobis.
Omnes ss. Pontifices et Confessores, orate pro nobis.
Omnes ss. Doctores, orate pro nobis.
Sancte Francisce Xaveri, ora pro nobis.
Sancte Vincenti a Paulo, ora pro nobis.
Omnes ss. Sacerdotes et Levitae, orate pro nobis.
Omnes ss. Monachi et Eremitae, orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena, ora pro nobis.
Sancta Catharina, ora pro nobis.
Sancta Barbara, ora pro nobis.
Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate pro nobis.
Omnes Sancti en Sanctae Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, exaudi nos, Domine.
Ab omni malo, libera nos, Domine.
Ab omni peccato, libera nos, Domine.

Digitized by Google

A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per crucem et passionem tuam,
Per sanctam resurrectionem tuam,
Per admirabilem ascensionem tuam,
Per adventum Spiritus sancti Paracliti,
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas,
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
Ut Domnum Apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut superiores nostros illuminare et gubernare digneris,
Ut parentibus et omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,

libera nos, Domine.

te rogamus, audi nos.

Digitized by Google

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Kyrie eleïson.

Christe eleïson.

Kyrie eleïson.

*Hebdomadarius dicit:* Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

*Stans.* **OREMUS.**

Defende, quaesumus Domine, beata Maria semper virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

*Genuflexus.*

*Hebdomad.* Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

Digitized by Google

*Superior se vertens ad praesentes dicit:*

Benedicat et custodiat vos omnipotens et misericors Deus, Pater ✠, et Filius, et Spiritus sanctus. ℟. Amen.

*Sabbatis, post Orationem* Fac nos quaesumus, *pulsatur organum et Cantor alternatim cum Choro cantat* Litanias Lauretanas, *quae concluduntur oratione ordinaria ut pag.* 16; *tempore vero Quadragesimae, canitur Hymnus* Stabat Mater, *et in fine oratio quae sequitur.*

**OREMUS.**

Deus, in cujus passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosae Virginis et Matris Mariae doloris gladius pertransivit: concede propitius; ut qui Transfixionem ejus et passionem venerando recolimus, gloriosis meritis et precibus omnium Sanctorum, Cruci fideliter astantium, intercedentibus, passionis tuae effectum felicem consequamur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Digitized by Google

## § 3.

# ADORATIO SANCTISSIMI SACRAMENTI.

*Diaconus caeremoniarius signans se signo crucis dicit:* In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Domine Jesu, qui ex hoc mundo transiturus ad Patrem, Sacramentum Corporis et Sanguinis tui in alimentum simul et solatium Ecclesiae tuae tradidisti: da nobis, ut te ipsum, quem nunc absconditum in mysterio veneramur, revelata facie in coelesti gloria mereamur contemplari. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.

*Hac dicta oratione, quilibet pro sua devotione adorat Sanctissimum Sacramentum; donec post horae quadrantem Caeremoniarius concludit adorationem oratione hac sequenti:*

Digitized by Google

**OREMUS.**

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuae memoriam reliquisti: tribue quaesumus; ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

Digitized by Google

## § 4.

# OFFICIUM VESPERTINUM.

*Laudes vespertinae cantantur diebus dominicis, ac iis festivis et ferialibus, quibus praelectio professoralis pomeridiana non habetur.*

1. *Incipiunt cantando Antiphonam:* Christus Jesus Splendor Patris, et figura substantiae ejus, portans omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Majestatis in excelsis.

### 2. LITANIAE.

Kyrie eleïson. Christe eleïson.
Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.

Digitized by Google

Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.
Jesu, Fili Dei vivi,
Jesu, sapientia aeterna,
Jesu, mitis et humilis corde,
Jesu, amator castitatis,
Jesu, princeps pacis,
Jesu, zelator animarum,
Jesu, magister et Domine noster,
Jesu, apud Patrem advocate noster,
Jesu, via, veritas et vita,
Jesu, qui es super omnia Deus benedictus in saecula,

miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei . . . . exaudi nos, Domine.
Agnus Dei . . . . miserere nobis.
Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.

℣. Vox de coelo facta est: hic est Filius meus dilectus.

℟. In quo mihi bene complacui.

*Stans.* **OREMUS.**

Domine Jesu Christe, qui dixisti: petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate

Digitized by Google

et aperietur vobis, quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde et opere diligamus, et a tua laude nunquam cessemus.

Humanitatis tuae ipsa divinitate unctae, Domine Jesu Christe, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum; quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.

3. *Jam canitur Antiphona de B. V. Maria cum versiculo et oratione, juxta diversitatem temporis.*

4. *Postea Hymnus festi vel diei cum versiculo et oratione, qua dicta:* Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

5. *Deinde cantatur:* Ave Maria.

*In fine dicuntur* Preces pro defunctis *pag.* 45, *et* Preces pro infirmis, *prout juxta regulas pag.* 49 *requiruntur.*

Digitized by Google

Feriis quintis, *si Laudes vesp. fieri contigerit, 4° loco cantantur preces pro conversione infidelium.*

*Dicto* Pater noster, *incipitur.*

**Psalmus 145.**

Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea: * psallam Deo meo quamdiu fuero.

Nolite confidere in principibus: * in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam: * in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius: * qui fecit coelum et terram, mare, et omnia quae in eis sunt.

Qui custodit veritatem in saeculum, facit judicium injuriam patientibus: * dat escam esurientibus.

Dominus solvit compeditos: * Dominus illuminat caecos.

Dominus erigit elisos, * Dominus diligit justos.

Dominus custodit advenas, pupillum et viduam suscipiet: * et vias peccatorum disperdet.

Digitized by Google

Regnabit Dominus in saecula, Deus tuus Sion, * in generationem et generationem.

Gloria Patri, et Filio.

℣. Illuminare Domine his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent.

℟. Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

℣. Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae.

℟. Et adorabunt in conspectu ejus universae familiae gentium.

℣. Convertimini filii revertentes.

℟. Et sanabo aversiones vestras.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

**OREMUS.**

Militantem in terris Ecclesiam tuam, Domine, perpetua defensione conserva: et contra omnia mundi pericula coelesti gratia roboratam, fac in praesenti saeculo vincere et in futuro coronari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

5°. *loco* Ave Maria *ut supra.*

Digitized by Google

Feriis sextis (*excepto tempore a* 17*ma Decembris usque ad Octavam Epiphaniae inclusive, totoque tempore paschali*):

1. *Antiph.* Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

## 2. LITANIAE.

Kyrie eleïson . . . . *prout supra*, *pag.* 32.
Jesu, Fili Dei dilectissime,
Jesu, a Patre propter delicta nostra in mortem tradite,
Jesu, qui oblatus es, quia ipse voluisti,
Jesu, qui vere languores nostros tulisti,
Jesu, tanquam ovis ad occisionem ducte,
Jesu, pastor bone, qui animam tuam pro ovibus tuis posuisti,
Jesu, vir dolorum et sciens infirmitatem,
Jesu, qui vulneratus es propter iniquitates nostras,
Jesu, qui attritus es propter scelera nostra,
Jesu, qui dilexisti nos, et lavisti nos in sanguine tuo,
Jesu, cujus livore sanati sumus,

miserere nobis.

Digitized by Google

Jesu, qui surrexisti pro nobis a mortuis, miserere nobis.

Agnus Dei etc.

℣. Adoramus te Christe et benedicimus tibi.

℟. Quia per crucem tuam redemisti mundum.

*Stans.* **OREMUS.**

Omnipotens sempiterne Deus, qui per humillimam Filii tui passionem et mortem mundum tibi reconciliare voluisti : praesta quaesumus, ut per ejus sanguinem justificati, ad eam, quam nobis acquisivit, perveniamus gloriam aeternam. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

3°. *loco etc. ut supra, pag.* 34.

Digitized by Google

# QUAEDAM VARIATIONES CIRCA LAUDES VESPERTINAS.

## TEMPORE ADVENTUS.

*Dominicis diebus loco Hymni cantatur 4° loco:*
Rorate coeli.

℣. Vox clamantis in deserto : parate viam Domini.

℟. Rectas facite semitas ejus.

Oratio Dominicae.

## IN QUATUOR TEMPORIBUS.

### PRECES

PRO ORDINANDIS HIC ET IN TOTA ECCLESIA.

*Feriis quartis Quatuor Temporum in Laudibus 4° loco dicitur :*

Pater noster. . . . . Et ne nos etc.

**Psalmus 24.**

Ad te Domine levavi. (*ex feria tertia in feriali officio ad Primam*).

Digitized by Google

*Hebd. genufl.*

℣. Accedunt, quos elegerit Dominus, ut ministrent ei.

℟. Et benedicant in nomine ejus.

℣. Notum fac Domine, qui ad te pertineant.

℟. Et quos elegeris, appropinquabunt tibi.

℣. Sanctifica eos in veritate.

℟. Sermo tuus veritas est.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

**OREMUS.**

Ecclesiae tuae Deus sanctificator et custos, suscita in ea per Spiritum tuum idoneos et fideles mysteriorum Christi dispensatores, ut eorum ministerio et exemplo christiana plebs in viam salutis, te protegente, dirigatur. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Divinum Auxilium. 5°. *loco* Ave Maria.

*Feriis sextis Quatuor Temporum fit eodem modo, excepta oratione:*

**OREMUS.**

Deus, qui ministrantibus et jejunantibus discipulis, segregari jussisti Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpseras eos;

Digitized by Google

adesto nunc Ecclesiae tuae jejunanti et oranti: et tu, qui omnium corda nosti, ostende, quos elegeris in ministerium Christi tui. Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Divinum Auxilium. 5° *loco* Ave Maria.

*Sabbatis Quatuor Temporum. 4° loco Psalmus* 137. Confitebor Tibi Domine *(ex feria VI ad Vesperas). Quo finito, Hebdomadarius dicit:*

℣. Suscepimus Deus misericordiam tuam.
℟. In medio templi tui.
℣. Mirifica misericordias tuas, Domine.
℟. Qui salvos facis sperantes in te.
℣. Manda Deus virtuti tuae.
℟. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

**OREMUS.**

Domine Jesu Christe, pastor bone, qui animam tuam posuisti pro ovibus tuis, et easdem Carnis et Sanguinis tui alimento vivificas: reple eodem charitatis spiritu quos ad gregis tui custodiam ordinasti, ut lubentissime pro salute ovium tuarum et impendant

Digitized by Google

sua, et seipsos superimpendant. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Divinum auxilium. 5° *loco* Ave Maria.

## TEMPORE QUADRAGESIMAE.

*Diebus dominicis agitur sicut in feriis sextis; 4° vero loco non dicitur Hymnus, sed ejus loco cantatur Psalmus:* Miserere *usque ad versic.* Cor mundum *exclusive; vel secunda pars, incipiens a* Cor mundum.

℣. Tradidit in mortem animam suam.

℟. Ut vivificaret populum suum.

## OREMUS.

Deus juste et misericors, qui Filium tuum unigenitum pro nobis peccatoribus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum tradi voluisti : da nobis ad aspectum in cruce pendentis, compunctionem cordis salutarem; ut, qui peccando vitae auctorem interfecimus, poenitendo vitam ex morte ipsius hauriamus. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Divinum Auxilium. 5° *loco* Ave Maria.

Digitized by Google

**IN FESTO SS. TRINITATIS.**

*Quarto loco pro Hymno canitur* Symbolum S. Athanasii *cum vers. et oratione Festi.*

Divinum auxilium. 5° *loco* Ave Maria.

**MENSE DECEMBRIS.**

3 Dec. *In Festo* S. Francisci Xaverii 4° *loco cantatur pro Missionariis Psalmus* 131: Memento Domine David (*ex Vesperis feriae quintae*); *quo finito*,

*Officians* ℣. Salvos fac servos tuos, Domine.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Memento congregationis tuae.
℟. Quam possedisti ab initio.
℣. Sacerdotes tuos induas salutari.
℟. Et Sancti tui exultatione exultabunt.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

**OREMUS.**

Deus largitor pacis et amator charitatis, da famulis tuis veram cum tua voluntate concordiam, ut ab omnibus, quae nos pulsant, tentationibus liberemur.

Praesta, Domine, ut sacerdotes tui, quos Pon-

Digitized by Google

tifex maximus, Filius tuus, in terris vices suas tenere voluit, sanctificati sint in veritate, plebemque sibi commissam, verbo et exemplo ad sanctitatem valeant informare.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus Spiritu totum corpus Ecclesiae sanctificatur et regitur, exaudi nos pro universis Ordinibus supplicantes, ut gratiae tuae munere, ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Divinum. 5° *loco* Ave.

**MENSE JUNII.**

28 Junii. *In vigilia SS. Apost. Petri et Pauli* 4°. *loco Antiphona*: Petrus Apostolus et Paulus Doctor etc. *uti in Vesp. infra Octavam ; tunc Psalmus* 44: Eructavit cor meum. (*ex feria tertia ad Matutinum*). *Dein, repetita Antiphona, canitur* 5° *Hymnus Festi cum versic. et orat. etc. uti de more.*

**MENSE NOVEMBRIS.**

4 Nov. *In Festo S. Caroli Borromaei post orationem diei cantatur pro Clero Psalmus* 131: Memento Domine David. (*ex Vesperis feriae quintae*); *quo finito Officians prosequitur uti in festo* S. Francisci Xaverii, pag. 43.

Digitized by Google

## § 5.

# PRECES PRO DEFUNCTIS.

Oremus pro (N. et ceteris) fidelibus defunctis.

**Psalmus 129.**

De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes, in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Digitized by Google

Requiem aeternam dona eis, Domine.
Et lux perpetua luceat eis.
℣. A porta inferi.
℟. Erue, Domine, animas eorum.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

**OREMUS.**

(*Dum faciendae sunt preces pro quodam particulari defuncto, oratio secunda commutatur in orationem tali defuncto convenientem.*)

Deus, qui inter Apostolicos sacerdotes, famulos tuos pontificali, seu sacerdotali fecisti dignitate vigere: praesta, quaesumus; ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus veniae largitor, et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Digitized by Google

Fidelium, Deus, omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R. Amen.

V. Requiem aeternam dona eis, Domine.

R. Et lux perpetua luceat eis.

V. Requiescant in pace.

R. Amen.

*Fiunt hae preces cum oratione propria, dum nuntiata est mors alicujus presbyteri Dioeceseos Harlemensis; item alicujus personae tangentis aliquem internum Seminarii in* 1° *gradu; et tum fiunt per tres dies continuos.*

*Si defunctus fuerit tum membrum Congregationis B. M. V., tum sodalitii S. Caroli Borromaei, dictae preces per novem dies continuos fiunt; si vero ex Superioribus vel internis Seminarii fuerit, per mensem integrum.*

## PRO UNO DEFUNCTO.

### ORATIO.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices

Digitized by Google

deprecamur: ut animam famuli tui, quam de hoc saeculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem.

## PRO UNA DEFUNCTA.

### ORATIO.

Quaesumus, Domine, pro tua pietate miserere animae famulae tuae: et a contagiis mortalitatis exutam, in aeternae salvationis partem restitue.

Digitized by Google

## § 6.

# PRECES PRO INFIRMIS.

*Dum rogantur preces pro infirmo, qui SS. Exeuntium Sacramentis munitus sit, tribus diebus continuis, post Missam, vel secus post Laudes vespertinas, sequenti modo instituuntur.*

Oremus pro N. infirmo.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: et ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri.

Kyrie eleïson, Christe eleïson, Kyrie eleïson.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum.

Digitized by Google

℟. Deus meus, sperantem in te.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Dominus opem ferat illi.
℟. Super lectum doloris ejus.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

**OREMUS.**

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram; ut nos, et hunc famulum tuum, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Deus, infirmitatis humanae singulare praesidium, auxilii tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem: ut ope misericordiae tuae adjutus, Ecclesiae tuae sanctae incolumis repraesentari mereatur.

Digitized by Google

Concede hunc famulum tuum, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

*Cum aliquis ex Superioribus vel alumnis Collegii SS. Exeuntium Sacramenta susceperit, indicuntur pro eo preces per triduum, quae instituuntur sequenti modo.*

1. *Post Missam communitatis, unus ex altiori ordine insignitis praelegit* Litanias Lauretanas: *post* Agnus Dei *dicitur:*

Pater noster. . . Et ne nos etc.

℣. Salvum fac servum tuum, Domine.

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Vide, Domine, humilitatem ejus et laborem ejus.

℟. Et dimitte universa delicta ejus.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Digitized by Google

**OREMUS.**

Deus, infirmitatis humanae singulare praesidium, auxilii tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem: ut ope misericordiae tuae adjutus, Ecclesiae tuae sanctae incolumis repraesentari mereatur.

Concede hunc famulum tuum, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa Beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

2. *In Laudibus vespertinis, immediate post orationem diei, Hebdomadarius* 5° *loco addit:*

Pater noster. . . Et ne nos etc.

*Postea Chorus cantat Psalmum* 142 Domine exaudi (*ex feria* VI *ad Laudes*); *quo decantato, Hebdomadarius resumit:*

℣. Salvum fac servum tuum, Domine.
℟. Deus meus, sperantem in te.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

Digitized by Google

℣. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus.

℟. Universum stratum ejus verset in infirmitate ejus.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

*Orationes uti post Missam, fol. praec.*

*Post orationes :* Divinum auxilium. 6° *loco* Ave Maria, *uti solet.*

*Si post triduum adhuc deceat, ut preces pro illo infirmo fiant, dicantur ordinariae; vel potest indici resumptio supra scriptarum.*

*Si infirmus jaceat in Collegio et instet mors ejus, Superior juvat agonizantem modo, qui in Rituali Romano describitur. Ceteri autem alumni preces ad juvandos agonizantes persolvunt in sacello. Post preces recedunt, sed in toto Collegio altum servant silentium.*

Digitized by Google

## § 7.

## DE FINE ANNI STUDIORUM.

*Antequam dimittantur alumni ad majores ferias, post Missam, aut alia hora designanda, cantatur solemniter Antiphona:* Te Deum Patrem ingenitum etc. (*ex 2 Vesperis in Festo SS. Trinitatis*); *dein canitur Psalmus:* Lauda Jerusalem Dominum, *praeeunte Praeside, indulo superpelliceo et stola. In fine Psalmi Praeses, alternatim cum Choro cantat:*

℣. Benedicamus Patrem, et Filium cum sancto Spiritu.
℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.
℟. Benedices coronae anni benignitatis tuae.
℟. Et campi tui replebuntur ubertate.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

**OREMUS.**

Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissi-

Digitized by Google

mae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas.

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa Beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

*Tunc dicit tono orationis ferialis:*

In viam pacis et prosperitatis dirigat nos omnipotens et misericors Dominus: et Angelus Raphaël comitetur nobis in via, ut cum pace, salute, et gaudio revertamur ad propria.

℟. Amen.

*Et Praeses vertens se ad Chorum dicit eodem tono:* Pax et benedictio omnipotentis Dei ✠ Patris, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super vos, et maneat semper.

℟. Amen.

*Et incipiunt majores feriae ad primam feriam sextam mensis Octobris inclusive.*

Digitized by Google

## § 8.

# DE EXERCITIIS SPIRITUALIBUS.

*Exercitia inchoantur ad Laudes vespertinas, hora competenti. Presbyter agens in Laudibus, genuflexus ante altare, incipit hymnum:*

**VENI CREATOR SPIRITUS.**

(*Post primam stropham omnes stant.*)

*Quo solemniter per Chorum decantato, Presbyter agens dicit, respondente Choro:*

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terrae.
℣. Cor mundum crea in me, Deus.
℟. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.
℣. Ne projicias me a facie tua.
℟. Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Digitized by Google

℣. Redde mihi laetitiam salutaris tui.
℟. Et spiritu principali confirma me.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

**OREMUS.**

Deus, innocentiae restitutor et amator, dirige ad te tuorum corda servorum, ut, Spiritus tui fervore concepto, et in fide inveniantur stabiles, et in opere efficaces.

Illo nos igne, quaesumus Domine, Spiritus sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus misit in terram, et voluit vehementer accendi.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humanae fragilitatis infirmitatem agnoscis, respice, quaesumus, super nos famulos tuos, et larga tuae benedictionis abundantia infirmitatem nostram robora, ut vota nostra, quae praeveniendo aspiras, per auxilium gratiae tuae innovari facias, et sancte vivendo fidelius observari tribuas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Digitized by Google

*Ultima die exercitiorum, hora consueta, ante expositum Sanctissimum renoventur clericalia vota, ut sequitur.*

*Protestatio innovationis votorum clericalium.*

O amantissime et amabilissime Deus, quam magna multitudo dulcedinis tuae! charitate enim perpetua dilexisti me et attraxisti me ad te, miserans mei; nam propter nimiam charitatem, qua dilexisti me, suscitasti a terra inopem et de stercore erexisti me pauperem, ut collocares cum principibus, principibus populi tui.

Non ego quidem, sed tu prior elegisti me de mundo, nolens me conformari huic saeculo, ne princeps hujus mundi in me haberet quidquam, et non cum hoc mundo, qui totus in maligno positus est, damnarer: at potius posuisti me in Clero tuo, ut illic irem de virtute in virtutem, ut fructum dignum bonorum operum afferrem, qui in aeternum maneret, quo teipsum mercedem magnam nimis mihi acquirerem, ac partem hereditatis meae perditam mihi recuperarem; quapropter et ego quoque elegi te, ut sis Dominus meus et Deus meus, pars mea in aeternum.

Digitized by Google

Sed eheu, hereditatem meam non satis attendi, substantiam meam dissipavi, retrorsum abii, mundum dilexi, vanitates et insanias falsas non exhorrui, inimicis tuis manum dedi, tunicam innocentiae commaculavi, superflua aut dilexi, aut quaesivi, aut retinui; lucernam boni exempli extinxi; fidelem cultum tibi et Ecclesiae tuae non exhibui, perfectionis studium et media ad eam non quaesivi, non satis admisi; jugum tuum dulce et onus leve excussi; Spiritui sancto multoties restiti. [Spiritum Dei contristavi eumque extinxi;] sed tu, Domine, miserere mei et resuscita me.

Tibi ergo Domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio faciei nostrae, sicut est dies haec: et hoc solum mihi nunc superest, idque unice in votis, ut spiritu principali confirmes me, et spiritum rectum innoves in visceribus meis, iterumque vota priora admittas, et sic me deinceps vivere concedas, ut qui pars Domini sum, et Dominum partem meam iterum eligo, talem me exhibeam, ut ipsum possideam Dominum, et a Domino ipse possidear, nec quidquam contra aut extra te Dominum meum cupiam.

Eligant itaque sibi alii partes, quibus fruan-

Digitized by Google

tur, terrenas et temporales; portio mea Dominus est. Bibant alii mortiferas voluptates; pars calicis mei Dominus est. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. Quid quippe ultra quaeret, cui omnia suus Conditor est? aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit?

Te solo igitur contentus, Deus meus et omnia, agnosco iterum coram coelo et terra, quoniam funes mei ceciderunt mihi in praeclaris, etenim hereditas mea praeclara est mihi; quaestus magnus mihi est pietas cum sufficientia: abjicio itaque denuo omnes mundi pompas, superfluas vanitates, et insanias falsas, et eligo abjectus esse in domo tua, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. De hoc multum sollicitus, ut tunicam sanctitatis, quam dimisi, aut defoedavi, iterum resumam in sanguine tuo dealbatam, nec unquam dimittam.

**Itaque profiteor, quia tu Dominus pars hereditatis meae et calicis mei, tu es, qui restitues hereditatem meam mihi.**

℟. Amen. (*Ter haec ultima verba.*)

Digitized by Google

## TE DEUM LAUDAMUS.

*Hocque solemniter decantato, Officians dicit, respondente Choro:*

℣. Benedicamus Patrem, et Filium, cum sancto Spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

℣. Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus.

℟. Populus, quem elegit in hereditatem sibi.

℣. Manda, Deus, virtuti tuae.

℟. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

℣. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hereditati tuae.

℟. Et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.

℣. Unam petii a Domino, hanc requiram.

℟. Ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitae meae.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

**OREMUS.**

Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas.

Da nobis, quaesumus Domine, perseverantem in tua voluntate famulatum; ut in diebus nostris, et merito et numero, populus tibi serviens augeatur.

Proficiat, quaesumus Domine, plebs tibi dicata piae devotionis affectu; ut sacris actionibus erudita, quanto majestati tuae fit gratior, tanto donis potioribus augeatur.

Gratia tua nos, quaesumus Domine, non derelinquat, quae et sacrae nos deditos faciat servituti, et tuam nobis opem semper acquirat.

Fideles tuos, Deus, benedictio desiderata confirmet, quae eos et a voluntate tua numquam faciat discrepare, et tuis semper indulgeat beneficiis gratulari. Per Dominum.

Digitized by Google

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

IMPRIMATUR.

HARLEMI,
die 9 Augusti 1892.

B. DANKELMAN,
*Libr. Censor.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google